

NOTES.

PAGE 60.

*Position of Women in Australia.*¹

‘ Fœminæ sese per totam pene vitam prostituunt. Apud
 ‘ plurimas tribus juventutem utriusque sexus sine discrimine
 ‘ concumbere in usus est. Si juvenis forte indigenorum cœtum
 ‘ quendam in castris manentem adveniat, ubi quævis sit puella
 ‘ innupta, mos est: nocte veniente et cubantibus omnibus,
 ‘ illam ex loco exsurgere et juvenem accidentem cum illo per
 ‘ noctem manere unde in sedem propriam ante diem redit. Cui
 ‘ fœmina sit, eam amicis libenter præbet; si in itinere sit, uxori
 ‘ in castris manenti aliquis supplet illi vires. Advenis ex
 ‘ longinquo accedentibus fœminas ad tempus dare hospitis esse
 ‘ boni judicatur. Viduis et fœminis jam senescentibus sæpe in
 ‘ id traditis, quandoque etiam invitis et insciis cognatis, adole-
 ‘ scentes utuntur. Puellæ teneræ a decimo primum anno, et
 ‘ pueri a decimo tertio vel quarto, inter se miscentur. Seniori-
 ‘ bus mos est, si forte gentium plurium castra appropinquant,
 ‘ viros noctu hinc inde transeuntes, uxoribus alienis uti et in
 ‘ sua castra ex utraque parte mane redire.

‘ Temporibus quinetiam certis, machina quædam ex ligno ad
 ‘ formam ovi facta, sacra et mystica, nam fœminas aspicere
 ‘ haud licitum, decem plus minus uncias longa et circa quatuor
 ‘ lata, insculpta ac figuris diversis ornata, et ultimam perforata
 ‘ partem ad longam (plerumque e crinibus humanis textam)
 ‘ inserendam chordam cui nomen “ Moo yunkarr,” extra castra
 ‘ in gyrum versata, stridore magno e percusso ære facto, liber-
 ‘ tatem coeundi juventuti esse tum concessam omnibus indicat.
 ‘ Parentes sæpe infantum, viri uxorum quæstum corporum
 ‘ faciunt. In urbe Adelaide panis præmio parvi aut paucorum

¹ Eyre's *Discoveries*, &c., ii. 320.